

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio III. De persona et officio christi

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

DE PROCESSIONE SP. S.

36 tationes Scholasticorum, atque inter ceteras hanc: Utrum si à Filio Spiritus non procederet, nihilominus à Filio personaliter distingueretur. Ex ipsis ista qui volet, cognoscat.

I. dist. 10
sc. 12.

Patri ingenito, Patris unigenito Filio, &
utriusque Spiritui, Deo uni
G L O R I A.

DISPUTATIO III.

DE PERSONA ET OFFICIO
CHRISTI.

THESES I.

Gal. 4, 4. F ILIUS DEI secunda persona divinitatis, ubi venit plenitudo temporis, propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus, & homo factus est.

II. Messiam enim & Salvatorem nostrum verum Deum oportebat esse, & verum hominem.

Heb. 2, 14. III. Et Deum quidem, quoniam infinitæ justitiae, quæ finita fuerit, creatura, satisfacere non potest; neque potest nos infinito Deo, placatâ immensâ ejus irâ, reconciliare; neque potest justitiam & vitam æternam restituere; mortem, & per mortem destruere eum, qui habebat imperium mortis, id est, Diabolum; preces exaudire; Ecclesiam regere & defendere: quæ omnia Messiam præstare oportet.

Heb 2, 17. IV. Hominem verò esse conveniebat, quoniam homo erat qui peccaverat, & peccando pœnarum & mortis reus factus erat. Hominem itaque pati necesse fuit, pœnamque & mortem subire. Et debuit per omnia fratribus

bus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex: ergo non Angelos adprehendit, sed semen Abrahæ. Atque inde non habemus Pontificem, qui non posset compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, juxta similitudinem, absque peccato.

16.

4, 35.

V. Quod autem ελεγον, qui caro factus est, verus Deus sit, Deo Patri & S. Spiritui συμφωνον, id superiori disputatione septem argumentorum classibus abunde demonstravimus, ut hoc loco divinitati Messiae nostri probandæ haut opus sit immorari.

VI. Quod hic idem semen Abrahæ adprehenderebit, & in suanī sibi hypostasī humanam naturam ē purissimā virgine matre, superveniente in eam Spiritu sancto & virtute Altissimi obumbrante, univerit; adeoque verus homo factus sit, & verissimè esse dicatur: id verò testatur ipse, quando se Filium hominis idem tidem fatetur. Testatur quoque Scriptura, quando eum Semen mulieris, & Semen Abrahæ, Ishac & Jacob adpellat.

Luc. 1, 35.

VII. Verè etiam natus est, (teste Evangelicā historiā) educatus, edit, bibit, esurijt, sitijs, ambulavit, quietvit, dormivit, passus, crucifixus, mortuus & sepultus est: quæ omnia verum & naturā hominem arguunt.

IX. Et quoniam verus homo est, habebit quæ hominis essentiam constituant, & sine quibus hominem esse contradictionem implicaret, nempe Corpus animatum instrūctumque vegetante & sentiente anima; & Animam rationalem, Intellectus & Voluntatis compotem.

IX. Quod etiam ea, quæ naturam humanam, quantum Naturam per se consequuntur, οἰκεῖας adsumferit, satis testantur istæ, de quibus modò dicebamus, animalis hominisque naturales adfectiones & infirmitates. Cum

DE PERSONA

38
ijs verò quæ naturam, quatenus corrupta est, comitantur.
Heb. 4. 15. nulla ipsi umquam communio. Tentatus est per omnia, n. ad.
ēmōtūta, sed absque peccato.

X. Ex hisce fundamentis convincuntur hæretici.

I. Marcion & Manichæi, qui corpus Christi adseverabant
fuisse non nisi simulatum & adparens quoddam corpus:
eādem enim operā adseverant Christum simulatum fuisse
hominem, ejusque actiones, passionem & mortem non
verè tales fuisse, sed quædam phantasmata; quo modo
enervaretur opus redēptionis nostræ.

XI. Secundò Valentini, quorum hæresin reno-
vārunt Anabaptistæ, negando Christum suam carnem ē
substantiâ Virginis matris adsumisse, adfirmandoque
cœlitū delatam per Mariam transiisse, quemadmodum
unda per fistulam. Servetus quoque docebat, Christi
carnem divinam esse, & genitam ex essentiâ Patris. Oppo-
nimus rationem veræ humanitatis, & quod Angelus per-
Luc. 1. 35. spicuè ad matrem ait: *Sanctum quod ex te nascetur.*

XII. Tertiò Arius & Apollinaris pater & filius
Laodiceni(de quibus vide Socratem lib. II. c. XXXV. Theodo-
doretum hist. lib. V. cap. IV. & hær. fab. lib. IV. Sozomenum
lib. VI. c. XXVI. Nicephorū l. XI. c. XII.) docentes sicut
Arius, quòd Verbum Christo pro animâ rationali fue-
rit. Primum dicebant, ait Socrates, hominem à Deo Verbo
adsumptum in ipsâ incarnationis œconomia, sine animâ. Dein-
de tamquam pénitentiâ adducti, illum animam suscepisse conce-
dunt quidem, eam tamen non esse mente præditam, sed Verbum
in homine, quem sumserat, mentis loco inclusum. Ab Epiphani-
o sectatores eorum vocantur Dimeritæ, lib. III. tom. II.
hær. LXXVII. Damnantur in Concilio quodam Constantino-
politano, & Romæ à Damaso, scribente Theodoreto lib. V.
cap.

cap. IX. & X. Compluribus etiam locis ab Athanasio redarguntur & refutantur.

XIII. Quartò Monotheletæ, qui duas distinctas voluntates in Christo non admittebant. Videntur originem duxisse ab Eutychianis, quorum errores tegumento quodam incrustare voluerint. Damnantur Sergius, Paulus, Pyrrhus, Petrus, Cyrus & Theodorus, omnes episcopi Constantinopolitani, qui hanc sententiam defenderant, in synodo oecumenicâ sextâ, celebratâ Constantinopoli A. C. 10 c. lxxxix, indicente Constantino Pogonato. Rectè damnatos fuisse ex eo liquet, quod nisi Christus haberet humanam voluntatem, humanam naturam imperfèctè adsumisset: atque hac voluntate cupiebat, calicem destinatum, si fieri posset, transire; quamquam id sine peccato, quum divinæ se subjiciat humana.

Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu vis. Distinctas has voluntates ostendit etiam, cum ait: *Non quero voluntatem meam, scilicet mihi ratione adsumtæ humanitatis propriam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris;* cum quo videlicet, quia mihi una & eadem est essentia, una quoque & eadem est voluntas, quâ idem cupio & quaro, quod ille.

XIV. Quamquam omnes hi satis refutantur ex propriâ ratione humanæ naturæ, ut non opus sit prolixiorē disputationem texere. Maneat itaque certum & indubitatum, quod Messias noster verus Deus sit, & verus Homo: nempe quod Secunda persona divinitatis Filius Dei adsumserit sibiique copulaverit humanam naturam, eamque è Virgine Mariâ individuam; huicque communicaverit suam personalitatem sive subsistentiam, ut ipsa, quæ alias per se propriâ personalitate subsistere potuis-

DE CHRISTI

40 potuisset, jam non per se subsistat, sed per subsistentiam Verbi, à quâ, tamquam ab ultimo suo substanciali termino, dependeat, compleatur, reddaturque incommunicabilis.

XV. Unio igitur duarum naturarum in Christo non debet dici Essentialis, quâ duæ res imperfectæ & naturaliter istum adinuicem respectum & aptitudinem habentes concurrant ad constituantem unam essentiam ab ipsis diversam, quales actus & potentia, materia & forma, genus & differentia specifica. Neque verò Accidentalis, quâ substantiæ vel accidens vel alia substantia jungatur, unde tamen exsurgit non nisi forma accidentalis, & compositio sive unio per accidens.

UNIO
CHRISTI
PERSONA-
LIS.

XVI. Verum Personalis, hypostatica sive substancialis rectè dicitur, quippe substantia quæ per se subsistret, trahitur ad esse alterius substantiæ; atque hæc communicat ei suam subsistentiam, hoc est, Verbum suâ primâ & intimâ perfectione personali sustentat humanam naturam, terminando & substancialiter ipsam complendo, ut ea neque per se neque per quicquam aliud nisi per ipsius Verbi personalitatem constituantur in suo esse ultimo hypostatico & incommunicabili. Ita fit, ut Verbum, quia sic sustentat adsumtam naturam, sive quia sic substancialiter & personaliter unitam habet humanitatem, verus homo sit; faciatque Deus & homo unum idemque numero & individuam incommunicabilem substantiam, quæ vocatur in naturâ intelligente Persona. Exemplum adæquatum dari aut inveniri aliud non potest, quam hoc ipsum Messiæ & Servatoris nostri.

XVII. Hic autem Messias & hæc persona est JESUS, Mariæ filius. Hic enim, ut demonstratum fuit,
Deus

Deus est & Homo : & huic conveniunt omnia illa propria & singularia , quæ de Messiâ in Veteri Testamento prædicta fuerunt.

XIX. Atque hoc contra Judæos demonstrandum est, ut quum primò Messiam Deum esse, tempusque adventus Messiae dudum præteriisse , seque nunc frustra exspectare cognoverint, deinde omnia Veteris Testamenti de Messia vaticinia huic nostro convenire intellegant.

XIX. Sunt autem quæ de Messiâ promittuntur & prædicuntur, quòd sit semen mulieris, Gen. 111,5. semen Abrahæ, in quo scilicet benedicantur omnes gentes terræ, Gen. xii, 13. xxiix, 18. xxii, 18. Ishaci, Gen. xxvi, 4. Jacobi, Gen. xxxiix, 14. & quidem è tribu Juda, Gen. xl ix, 10. è familiâ Davidis, 11 Sam. vii, 12. nasciturus è virginе, Jes. vii, 14. circa finem politiæ Mosaicæ nondum planè ablato sceptro de Juda, Gen. xl ix, 10. tempore etiam à Daniele per lxx hebdomadas exactè præfinito, Dan. ix, 24. stante adhuc templo secundo, Hagg. 11, 7. in Bethlehem, Mich. v, 1. quòd ingentia miracula, & talia, qualia Jesus fecit, patraturus, Jes. xxxv, 5. passurus, Jes. liii. configendus, Zachar. xi i, 10. resurrecturus, Ps. xvi, 10. & adscensurus in jubilo, Psal. xlvi i, 6. & lxix, 19.

XX. Verùm nos, omissis Judæis, prosequamur id, quod antè diximus, nempe factam esse duarum naturarum divinitatis & humanitatis unionem personalem. Hoc est illud mysterium, in quod Angeli desiderant prospicere : hoc est, quod indicat Joannes, cùm ait : ὁ λόγος Ioan. i, 14. εγένετο.

XXI. Quòd verò duæ naturæ unitæ sint in unam hypostasin, testatur unitas illa pérsonæ, quæ per totam

DE DUABUS NATURIS IN CHRISTO.

42 Scripturam concretis loquendi modis significatur : sed
x Cor 8,6 mox de illis agemus. Paulus expressè: *Unus Dominus Ies-*
us Christus, per quem omnia, & nos per eum. Joannes in
c.20.v.31. *Evangelio : Hæc scripta sunt ut credatis, quod Jesus sit Christus,*
Filius Dei, id est, ne dividatis Christum in duas perso-
nas, in Filium Dei, & filium hominis; sed credatis Iesum, fi-
lium Mariæ, eundem esse Christum, Filium Dei. Cyrillus
118. in Ioan. in hunc locum : *Nos quando naturam Verbi consideramus,*
cap. 61. *aliud ab eâ naturâ templum, quod à Virgine adsumit, esse in-*
venimus. Quando vero vim conjunctionis respicimus, & (quan-
tum in nobis situm est) supernaturale hoc mysterium investiga-
mus, tunc Verbum cum templo suo unum esse intelligimus, quia
secundum scripturas unus est Jesus Christus : unus inquam filius,
qui ex templo carnis suæ (quod integræ naturæ humanae recipit definitionem) & ex vivo Dei Verbo esse intelligitur. I-
x Ep. 1,21. *dem Joannes in epistola : Quis est mendax, nisi qui negat*
4,15. *quod Jesus est Christus ? Et : Quisquis confessus fuerit, quoniam*
5,5. *Jesus est filius Dei, Deus in eo manet.* Item : *Quis est, qui vin-*
cit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei ? Ipse
Christus cœco, cui visum restituerat, adfirmat eundem
illum esse Filium Dei, quem videat, & qui cum loquatur,
Joan. ix, 37.

XXII. Ex his fundamentis exstruxit Cyrillus anathematismum suum secundum postea in Ephesinâ synodo confirmatum. *Si quis, inquit, non confitetur carni secun-*
dum subsistentiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse
Christum cum propriâ carne, eundem scilicet Deum simul &
hominem, anathema sit. Hoc idem, nempe unionem fa-
ctam esse secundum subsistentiam, inculcat synodus oecumenica quinta can. IV, V, IX. Athanasius quoque in symbolo : *Licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est*
Chri-

Christus, unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.

XXIII. Hanc personalem unionem consequuta est Communicatio idiomatum, ut vocant, quæ à Philippo definitur *prædicatio, in quâ proprietas uni naturæ conveniens tribuitur persone in concreto.*

COMMU-
NICATIO
IDIOMA-
TUM.

XXIV. Græci Patres ipsam etiam unionem aliquando *usorūtav* adpellant. Idioma verò in hunc modum definit Athanasius : *Idioma est, quod in unâ aliquâ naturâ propriè cognoscitur, & in aliâ nullâ reperitur. Veluti quum dico, in Deo est, quod est ante tempora, quod est increatus & immensus, quæ in aliâ nullâ usquam sunt substantiâ. Inseparabiles enim sunt à suis naturis proprietates earum.*

de definite.
tom. 2.

XXV. Quoniam autem modum effendi sequitur modus prædicandi, inde factum est, ut utriusque vel alterutrius naturæ proprietas rectè de personâ enuncietur, nimirum quia ipsæ naturæ in hypostasi personæ communicant. Nam ad eamdem rem referre oportet idiomata uniuscuiusque naturæ, in quâ re communicant ipsæ duæ naturæ. Quoniam igitur in personâ communicant, de ipsâ personâ, non de naturâ prædicationem facimus.

XXVI. Personam notamus vocabulo aliquo concreto, ut Deus, Homo, Filius Dei, Filius hominis &c. Naturam abstracto, ut Deitas, Humanitas. Suâ itaque vi & modo significandi abstractum non nisi pro naturâ concretum non nisi pro personâ supponit: neque licebit à concreto ad abstractum argumentari, sive ideo naturæ aliquam affectionem tribuere, quia ea de personâ in concreto dicta reperitur. Sic licet veræ sint hæ enunciations : *Homo Christus erat, antequam Abraham fieret;*

F 2

Deus

DE COMMUNICATIONE

44

*Deus passus est: non oportebit tamen ex ijs hasce inferre:
Humanitas Christi erat, antequam Abram fieret; Deitas passa
est. Atque inde Lutherus divinitus factum esse dicit, ut
alia sint vocabula abstracta, alia concreta.*

1.3. de fide
orthod. c. 4.

XVII. Damascenus hanc dicendi rationem τεῖ-
πον τῆς ἀνθρώπους appellat. Verū quia ipse totam rem be-
ne & perspicuè exponit, non pigebit ejus verba adscri-
bere. *Divinitatem dicentes, inquit, non de illâ nominamus
ea, quæ humanitatis sunt propria, non enim dicimus deitatem
paſſibilem aut creatam. Neque de carne, id est, humanitate
priædicamus ea, quæ deitatis sunt propria: nam neque dicimus
carnem, id est, humanitatem increatam. At verò de hypostasi
ſive ex utrâque ſive ex alterutrâ naturarum eam nominemus,
utriusque naturæ propria illi adjicimus. Sic quando ex unâ na-
turâ Filius Dei & Deus nominatur, ſuscipit conſuentiaſe na-
turæ, id est, carnis propria, Deus paſſibilis nominatur & Domi-
nus gloriae crucifixus, non secundum quod Deus, ſed secundum
quod homo idem est. Et quando dicitur Homo & filius homi-
nis, ſuscipit divinae eſſentiæ propria & glorificationes, pueru-
lus ante ſecula, & homo ſine principio, non ſecundum quod puer
& homo, ſed ſecundum quod Deus. Καὶ οὗτος ἐστιν ὁ τεῖπος, inquit,
τῆς ἀνθρώπους, ἔκατέρας φύσεως αὐτιδεύσης τῇ ἑτέρᾳ τῇ διὰ τὴν τῆς
ἀποστολῆς ταυτότητα, καὶ τῷ εἰς ἄλληλα αὐτῶν περιχώρησιν. Secundum
hoc poſſumus dicere de Christo, Deus in terrâ viſus & cum ho-
minibus conuersatus est; Et, Homo iſte increatus, impaſſibilis
& incircumscriptus est.*

XIX. Similis est apud Theodoreum regula
Dial. 2. & admonitio : *Ita de Christo verba facere convenit, ut
cum de naturis loquimur, ſuum cuique tribuamus, & ſciamus
quædam eſſe divinitatis, quædam humanitatis propria. Cum
autem de persona verba facimus, communicanda ſunt natura-
rum*

rum propria, & cum hæc tum illa Salvatori Christo tribuenda.

XXIX. Quam rectè isthæc doceant; intelligere licet, modò ipsas Scripturæ loquutiones consideremus, humana de Deo, & de homine divina numquam nisi in concreto enunciantes. Sic dicitur : Dominus gloriæ crucifixus est, 1 Cor. 11, 8. Deus suo sanguine adquisivit ecclesiam, Act. xx, 28. Deus pro nobis animam suam posuit, 1 Joan. 111, 16. Eodem modo Joan. 11x, 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum. Et cap. xvi i, vers. 5. Glorifica me Pater gloriâ, quam habui, priusquam mundus fieret:* hoc est, hic homo, sive hæc persona, quæ homo est, fuit ante Abramum, mundum condidit, & suam gloriam priusquam mundus fieret, habuit : verùm hoc non secundum humanam naturam, quæ facta est ex muliere, in plenitudine temporis ; sed secundum divinam, ita ut enunciatio rectè fiat in Concreto, quod totam personam, non in Abstracto, quod alterutram naturam exprimat.

XXX. Sic quoque fiunt hæc enunciationes : *Filius hominis est filius Dei vivi*, Matth. xvi, 16. Et, *Filius Dei est filius hominis*, Luc. 1, 32. Item: *Deus est homo*, Et, *Homo est Deus*. Quas vocare solent Inusitatas, quoniam earum similes in totâ rerum universitate non reperiantur ; nec enim *Essentiales* sunt, nec *Accidentales*, sed singulariter *Personales*.

XXXI. Quòd autem veræ & reales sint, hinc liquet, quoniam non solum subiecto tribuimus prædicati vocem, sive non tantum enunciando referimus prædicti vocem ad vocem subiecti, (quod in quâcumque enunciatione etiam falsâ fieri solet) sed ipsam rem per prædicatum significatam tribuimus rei, pro quâ ponitur vox

DE COMMUNICATIONE

46 subjecti : sive quoniam hisce propositionibus in mente formatis responderet aliquod extra mentem realiter existens, cuius ergo veræ sint, secluso etiam omni opere intellectus. Quæ enim tantum referunt enunciando prædicatum ad subjectum, atque ita verbales sunt, ut nihil reale ipsis respondeat (sicuthic : *Homo est leo*) omnino falsæ sunt.

XXXII. Quandounque verò duæ formæ in eodem supposito realiter uniuntur, rectè & verè de se invicem vocibus concretis prædicantur, ut, *Hoc album est calidum*, &c., *Hoc calidum est album*. Quoniam igitur in hoc mysterio duæ naturæ hypostaticè in unâ personâ uniuntur, nomina significantia illas naturas in ordine ad personam verè de personâ prædicabuntur, ut, *Meßias est Deus*, *Meßias est homo*: item unum de altero, ut, *Homo est Deus*: item unius naturæ proprietas de personâ per alterius naturæ nomen concretum notatâ, ut, *Deus est passus*, *Homo est æternus*. Neque oportebit ob hasce proprietatum prædicationes hypostasis discerpere, aut duo supposita introducere, sed uni eidemque utrasque tribuere, docen-

ANATH. 4. te Cyrillo & Ephesino Concilio. *Si quis voces, quæ in Evangelicis scriptis de Christo vel à sanctis vel ab ipso dicuntur, duabus personis sive subsistentibus distribuerit, & alias quidem homini, seorsim sequestrato Verbo; alias autem tamquam Deo convenientes soli Patris Verbo aptaverit, anathema fit.* Idem evincitur expositorio hoc syllogismo, cui nulla potest subesse ambiguitas aut falsitas: *Christus est Deus infinitæ essentiae & potentiae. Hic homo est Christus. E. hic homo est Deus infinitæ essentiae & potentiae.*

XXXIII. Nihilominus sicut personæ unitatem, sic naturarum distinctionem exactè decet observare, neque, sicut

sicut monuimus, à concreto ad abstractum prolabi, naturas & earum proprietates confundere. Videmus hoc ab ipso S. Spiritu in Scripturis accuratè factitatum, ut secundum quam naturam prædicatum supposito conveniat, indicetur. Rom. 1, 3, & 9, 5. Ex quibus natus est Christus secundum carnem. 11 Cor. xiiii, 4. Crucifixus est ex infirmitate, sed virtute ex virtute Dei. 1 Petr. xiiii, 18. Mortificatus quidem carne. 1 Petr. iv, 1. Christo igitur passo pro nobis in carne &c. quod idem est, ac si adderetur particula aliqua reduplicans, quæ formalem & præcisam rationem inhærentię sive attributionis prædicati ad subiectum inimueret, ut si dicerem: Christus quatenus homo, sive quò ad naturam humanam sibi unitam, passus est.

XXXIV. Et quòd ita, quando naturas abstractis vocibus significamus, cuique suas proprietates adsignare conveniat, multis & perspicuis verbis nos docent sancti Patres. Iustinus in expositione fidei: Quoties audieris de uno filio voces contrarias, collatas invicem divide juxta utramque naturam, magnificas divinasque divinæ adtribuens, quidquid autem existuum & humanum, humanae imputans. Sic enim & vocum earum discepantiam effugies, reddendo sua cuique naturæ; & filium unicum antiquorem omnibus seculis, eundem recens natum juxta Scripturas consiteberis. Ita Nazianzenus orat. iv. quæ 1. est de Filio: Summatim, quæ sublimiora sunt, transfer ad deitatem; quæ humiliora, ad carnem. Eadem docent Athanasius orat. IV cont. Arianos circa medium. Cyrilus l. V Dial. de Trin. sub initium Ambrosius l. III de fide c. IV. Augustinus i. de Trinit. c. vii, xi, xiii.

XXXV. Hæc ita monstranda & explicanda fuere adversus contrarias hæreses Nestorij & Eutychis, ut τὴν ἡγεμονίαν τῶν θεοῦ ὑπεριποννησούντων cum Scripturā & venerandâ antiqui-

48 antiquitate retineamus, neque dum unius Scyllam vita-
re cupimus, in alterius Charybdin incidamus.

NESTORII
HÆRESIS.

XXXVI. Nestorius Constantinopolitanus erat E-
piscopus, qui ab Anastasio presbytero Mariam ^{Stotikov}
publicè inficiante dissentire noluit, verùm istam senten-
tiam pertinaciter defendit. Lege Socratem l. VII, 32. Theo-
doretum hær. fab. l. IV, cap. penult. Euagrium l. I, c. 2. Nice-
phorum l. XIV, c. 31. Tripart. l. XII, c. 4. Inter sectatores e-
jus præcipuus fuit Theodorus Mopsuestenus; neque
non Theodoretuſ aliquando cum ipso fecit, & contra Cy-
rillum scripsit: verùm is errorem agnovit, & cum veritate
in gratiam reversus recte de unâ personâ sensit & scri-
psit, Nestoriumque inter hæreticos retulit. Hanc hære-
fin circa tempora Caroli Magni renovasse videntur Felix
Orgelitanus & Elipandus Toletanus, Filium Mariæ ad-
optivum dicentes & à naturali DEI Filio distinguentes;
eos peculiari libello refutavit Paulinus Aquileiensis,
qui exstat.

XXXVII. Quæ autem propriè Nestorij doctrina
fuerit, ex XII anathematismis, à Cyrillo in synodo pro-
vinciali Alexandrinâ latis, & à generali Ephesinâ confir-
matis, qui directe Nestoriano dogmati opponuntur,
cognoscere licet. Cyrillus libro de rectâ fide ad Theodo-
sium hisce verbis proponit: Separant in duos unum Christum,
^{circa init.} & crassâ separatione seorsim utrumque separant, & etiam
stantem demonstrant. Nam unum quidem esse contendunt ex
virgine natum, perfectè hominem: alterum vero verbum ex
Deo Patre. Neque aberraverunt in hoc à vero sensu, quoniam
non est eadem natura carnis & deitatis; sed unum quidem ut ho-
minem seorsim ponunt, alterum vero Deum naturâ & verè fi-
lium nominant. Addebat autem, Filium Dei postea sibi
univisse

univisse accidentaliter filium hominis, sive hominem (sic enim consultò loquebantur, ut duas subsistentias introducerent,) inhabitando in homine; faciendo ut coniunctissima utriusque esset voluntas; operando per hominem; eiisque suum nomen & dignitatem communicando: quæ tamen ipsa si non tanta, certè ejusdem generis de alijs sanctis hominibus dici possunt.

XXXIX. Nestorius itaque ob diversitatem naturalium personam discerpsit, & ex unâ duas fecit: Mariamque dixit peperisse hominem, qui non tantum naturalam sed personam humanam haberet; & huic soli tribuit nativitatem, passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem, ita ut nullo modo concretas loquutiones admitteret: Deus natus, passus, mortuus est. *Non peperit*, inquit, ô optime, Maria Deum, sed peperit hominem, divinitatis instrumentum. Item: *Eum qui menstruis spacijs, hoc est, bimestri & trimestri & ita deinceps adoleverit, Deum certè non appellaro.* Videtur ista mutuatus à Cerintho: nam & is Jesum à Christo dividebat, & hunc in illum longo post tempore descendisse docebat, ut suo loco ostendimus. Quæ igitur Divus Joannes in Cerinthum & alios Jesum dividentes, eumque Christum & Filium Dei negantes scribit, eadem in hujus sectæ ad seclas torquentor.

XXXIX. Damnatur in synodo Ephesinâ plus quam ducentorum episcoporum, cœcumenicâ tertiatâ, (cujus jam antè aliquoties mentio facta) quæ auctoritate & edicto Theodosij junioris congregabatur A.C. ccccxxxI, Coss. Bassi & Antiocho. Iple Oasîn Aegypti insulam relegatus lingua vermis exesâ obiit; quod se à scriptore quodam accepisse scribit Euagrius l. I.c.VII.

XL. Eutyches Archimandrita Constantinopolitanus Hæresis.

G

disp 2. th.
16:

DE HÆRESI

DE HÆREST

50
nus in errorem planè contrarium incidit. Non enim putabat refelli posse Nestorium, nisi statueretur una tantum in Christo esse natura post incarnationem. Docebat igitur unam factam esse naturam ex divinitate & carne, sive per conversionem divinitatis in carnem, sive contrà per conversionem humanitatis in deitatem, sive denique per confusionem vel misionem utriusque; atque hanc naturam, quæ reipsâ divina, secundum adparentiam autem & similitudinem humana fuerit, natam, passam & mortuam esse. Conſteor, inquit apud Euagrium, Dominum nostrum antequam divinitas cum humanitate jungeretur, ex duabus fuſſe naturis: at post harum rerum conjunctionem unam ſolum naturam in eo exſtitifſe adfirmo. Idem etiam corpus Domini non ex eadem ſubſtantia cum noſtro corpore conſtare adſeruit. Ipsi illa habentur in epiftolâ, quam Flavianus Constantinopolitanus ad Leonem Romanum è Constantinopolitanâ, quam contra Eutychen agebat, synodo ſcripsit. Et in hac quidem damnatus fuit Eutyches: deinde verò ope Dioscori Alexandrini in Ephesinâ illâ, quæ quia per vim & ſcelus agebatur, ^{λαζηνη} dicta est, reſtituebatur, & contrà orthodoxyi damnaabantur.

XLI. Tandem Eutyches cum suo Dioscoro damnatur in synodo Chalcedonensi, cœcumenicâ quartâ, quam indixerunt Marcianus & Valentinianus (quorum etiam super hac re rescriptum habetur) Imp. A. C. CCCLI. Ubi Episcopi DCXXX laudatissimam & celeberrimam suæ fidei de hoc mysterio confessionem edidere, quæ exstat in hunc modum: Confitemur (Ἐν καὶ ἀντὸν Ἰησὸν Χριστὸν ἡμέν, Κύριον, μετοχεῖν
εἰς τὸ φύσιον ἀνυψότας, ἀπέπτως, ἀδιαπέτως, ἀρχεῖσθαι γενέσιον τοῦ
ἀλεῖται τῆς τοῦ φύσεως διαφορῆς ἀνηρμότερον διὰ τῶν ἔρων, σωζόμενον τῷ
μᾶλλον τῆς ἴδεσθαι ἐκατέρας φύσεως καὶ εἰς ἐν αεροσπουν καὶ μίαν ἡποτε-
την πυγμαρχόσιν) unum & eundem Iesum Christum, Filium, Do-
minum,

minum, unigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconvertibili-
ter, indivisiè, insegregabiliter agnitus, nullà naturarum diffe-
rentiâ sublatâ propter unionem, sed magis servatâ proprietate
utriusque naturæ in unam personam concurrentis. Explicat
Damascenus vocabula ista peculiariter notanda. *αὐγχίτος*, or. cont.
Inconfusè quidem, quia quæque natura suam propriam differen-
tiam retinet, *Divinitas* *increatum*, *impassibile* esse; *humanitas*
creatum, *passibile* esse, & quæ sunt hujusmodi. *ἀπέρτος*, *Incon-*
vertibiliter verò, quia quæque natura inalterabilis permanxit,
non conversa in alteram, neque una *composita* *natura* inde con-
flata, sed duæ *veræ* sunt, *perpetuoque* manebunt. *ἀδιαπέρτος καὶ*
ἀχωρίστος, *Inseparabiliter* denique, quia *hypostaticè* sibi sunt unitæ.

XLII. Quam rectè & bene isthac definita fuerint,
ex ipsius Scripturæ phrasibus & rerum naturâ suprà o-
stendimus. Nihilominus sanam doctrinam postea im-
pugnârunt Acephali, ita dicti, quod suæ factionis caput
aut ductorem certum non haberent; Timotheus Ælurus,
episcopus Alexandrinus, nixus suffragio Basiliisci Imper-
atoris; Theopaschitæ, à Petro Gnaphæo episcopo An-
tiôcheno exorti; addebat ille hymno trishagio, qui cruci-
fixus es pro nobis, atque huic adstipulatus postea est qui ei
interjectis nonnullis successit Severus, haut incelebris in-
ter Monophysitas (sic enim eos omnes communi voca-
bulo dictos fuisse, arbitror) ut etiam novum nomen huic
sectœ dederit, quæ unâ cum suis auctoribus & sectatori-
bus condemnatur in quinquagenerali synodo habitâ Con-
stantinopoli A. C. 10 L. i, ab Imp. Justiniano. Omitto nunc
Armenios, Apithartodocitas, Agnoëtas, Monotheletas, o-
mnes Eutychianæ radicis malas propagines, quæ in varias
partes disperse multum terrarum diu occupârunt. Con-
tra tales synodus sexta, *Confitemur*, inquit, *monia duplia*
unius

th. 33

Act. 4,

G 2

DE UBIQUITATE.

52
unius ejusdemque Domini nostri Iesu Christi, id est, duas naturas,
ex quibus atque in quibus etiam post unionem subsistit. Et unam-
quamque ejus naturam proprietatem naturalem habere conste-
mum, & habere divinam omnia quæ divina sunt, & humanam
quæ humana sunt, absque ullo peccato.

DE UBI- QUITATE.

XLIII. Manifestum est ex hisce, ab Eutychia-
nismo alienos non esse, quicumque divina adtributa quæ
reapte idem sunt cum essentiâ divinâ humanitati adtribu-
unt, ita ut eam in abstracto ab illis denominent, & quate-
nus talem intrinsecè cum illis idem faciant: nominatim
qui immensitatem sive omnipræsentiam carni adscribunt.

XLIV. Nam quorum eadem est omnipræsentia
divina, eorum eadem quoque est essentia; quia harum
maxima & simplicissima est idemtitas, ut nisi cogitatione
separari nullo modo possint. Sed humanitatis juxta
ipsos & divinitatis eadem est omnipræsentia. Ergo hu-
manitatis & divinitatis eadem quoque erit essentia.

Joan II, 14.

XLV. Deinde tollit hæc ubiuitas articulos fi-
dei. Nam si humanitas Christi vi personalis unionis (ut
volunt) ubique est, à primo instanti conceptionis ubique
fuit; si ubique fuit, nativitas ejus, actiones, passio, resur-
rectio & ascensio metaphorica, ficta & simulata erunt,
ut docuerunt Manichæi. Et quomodo verum esset,
quod dicit Christus ipse: Lazarus mortuus est, & gaudeo pro-
pter vos, ut credatis, quia non eram ibi. Si enim ubique erat,
ibi certè erat.

XLVI. Neverò quis cavilletur, post resurrectio-
nem primum vi glorificationis usurpata esse ab humanita-
te adtributa divina; etiam post resurrectionem plano &
proprio sensu simpliciter ab aliquibus locis absuisse dici-
tur, Marc. XVI, 6 & 7. Joan. XX, 17 & 19.

XLVII. Qui

XLVII. Quinimò si propter glorificationem corpus Christi ubique est, quæro ubi glorificationi talis effetus à Scripturâ tribuatur? Certè reformabit corpus humilitatis nostræ eis τὸ γένεσθαι αὐτὸ σύμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης ἀντοῦ. Si igitur per glorificationem corpus Christi ubique est, nostrum quoque, quando glorificabitur, ubique erit. Nam ipse etiam ait: *Si aliiero & præparavero vobis locum, iterum venio, & adsumam vos ad meipsum: ut ubi sum ego & vos sitis.*

Ph. 3, 21.

Joan. 14, 3.

XLIIX. Verùm satis perspicuis & significantibus verbis, à quorum vero sensu. discedere non possumus, Adscensio describitur. *Luc. xxiv, 21. Cùm benediceret illis, recessit ab illis & ferebatur in cælum.* *Act. 1, 9. Videntibus illis elevatus est.* Tum Angeli ibidem, *vers. 11. Hic Jesus, qui adsumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hæc, ut recedere, ire, venire, dubium non est, quin propriè significant absentiam ab aliquo loco, vel quod cum eo conjunctum est, videlicet localem motum, cui simpliciter repugnat immensitas sive ubiquitas. Athanasius ex hisce dictis *adversus eos, qui duarum naturarum discrimen post passionem & adscensionem tollunt, ex proprietate naturarum ad ipsas naturas argumentatur.* Cur sacrae literæ, inquit, etiam post stupendam adscensionem ea, quibus Caro à Verbo distinguitur, prædicant, nempe: *Rursum redire: Visum iri modo quo antea? Omnia ad significandam carnem.* Atque ex ijs dictis se & distinctas naturas *καὶ τὰ ιδιωματα τῶν φύσεων διαφέρειν* demonstrare dicit.

XLIX. Demum si corpus Christi ubique esset, non posset verè in sacrâ cœnâ distribui, accipi & mandu-

G. 3

cari,

DE UBIQUITATE.

54 cari, nec relinqueretur alia, quam Sacramentalis præsen-
tia & ~~xoxovia~~, ut volunt Calviniani.

L. Accedant etiam testimonia antiquissimorum &
probatissimorum Patrum, quibus si medium unguem o-
stendant ~~in ærreptores~~, nihil est, quod nos eos ratione &
argumentis oppugnemus. ATHANASIUS de incarnatione
Christi contra Apollinarium. *In Christi morte corpus*
non ultra sepulchrum delatum fuit, anima ad inferos penetrante,
locis ingenti intervallo discriminatis, sepulchro quidem id,
quod corporeum erat, quia ibi corpus aderat, recipiente; infer-
no vero id, quod incorporeum fuit. Elencho adversus eos,
quod Christus veram carnem habuerit. Præterea hanc
sententiam ipsa Domini in cælum adscensio nobis suggerit, ut
sciamus, Deum quidem Verbum in cælis egisse perpetuo, nullo
inde tempore divulgum: Carnem vero illi conjunctam tunc pri-
mum modo plane stupendo erectam translatamque eò ubi prius
non erat. CYRILLUS in Joannem I. vi. cap. xiv. Et si cor-
poris sui præsentiam hinc subduxerit, majestate tamen divinit-
tatis semper adest, sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur:

Matth ult.
v.ult.
Ioan.12, 8.

Ecce ego vobis sum usque ad consummationem seculi. Li-
bro iix. cap. vii. Cum de se dixit: Me autem non semper
habebitis, loquebatur Dominus de præsentia corporis sui &c.
Lib. ix. cap. xxii. Credere oportet fideles, quamvis à nobis
corpo abfit, virtute tamen sua omnia & nos gubernari. Lib. x.
c. xxxiiii. Nullus ambigit, cum ad celos adscenderit, quamvis
virtute Spiritus semper adfuerit, præsentia tamen carnis ipsum
abfuisse. Lib. xi. cap. xxii. Cum Deus & homo Christus vere
est, oportuit eos intellectu ineffabili Deitatis potestate una
cum eis semper futurum, etiamque carne abefset. THEODORETUS
Dialogo 11, quem Inconfusum nominavit: Corpus Domini-
nicum est & habet, quam prius habuit circumscriptiōnēm. DA-
MASCE-

MASCENUS I. IIII. de fid. ortho. cap. VI. Minuitur & contrahitur ~~equanimes~~, ~~dein~~ verò incircumscrip~~tus~~ est, non coextensu carnis ejus cum incircumscrip~~tā~~ ejus divinitate. HIERONYMUS epist. ad Marcellam, quæ incipit: Magnis nos provocas. Illorum excraramur blasphemiam, qui novo sensu adserere conantur à tempore susceptæ carnis, omnia que erant divinitatis in hominem commigrasse, & rursum, quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa. Ut quod nulla unquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione utraque exinanita substantia, Deitatis videlicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata. AUGUSTINUS tractatu in Joan. L. Secundum præsentiam Majestatis semper habemus Christum; secundum præsentiam carnis reelle dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Tractatu LXXIIIX. A quibus homo abscedebat, Deus non recedebat: & idem ipse Christus homo & Deus: Ergo & ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat: ibat per id, quod uno loco erat, manebat per id, quod ubique erat. Idem Epistolæ ad Dardanum, quæ est LVII, ex professo hanc questionem tractat, ubi inter alia præclara hæc quoque leguntur: Secundum hominem in terrâ erat, non in cœlo, ubi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit &c. Quamvis secundum id, quod filius Dei erat, esset in cœlo; secundum id verò, quod filius hominis erat, adhuc esset in terrâ. Item. Quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis formâ atque substantiâ, cui profectio immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus: cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus: nam & de nobis veracißima scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur & sumus, nec tamen sicut ille, ubique sumus. Sed aliter

Ioan. 3, 13.

Repetitur
ser. 58. de
Verb. Dom.

DE UBIQUITATE.

58

aliter homo ille in Deo, quando aliter & Deus ille in homine proprio quodam & singulari modo ; una enim persona Deus & Homo est, & utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id, quod Deus est, in caelo autem per id, quod homo. RUFFINUS expositione in Symbolum, quae alias Cypriano tribuitur. Adscendit ad caelum, non ubi Verbum Deus anteà non fuerat, quippe qui erat semper in caelis sed ubi Verbum caro factum anteà non federat. LEO Serm. II. de Adscensione. Ineffabili modo (per adscensionem scilicet) cepit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquier. FULGENTIUS I. II. ad Traсимundum ferè circa finem. Unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre, unus idemque secundum humanam substantiam absens caelo, cum esset in terra, & derelinquens terram, cum adscendisset in caelum &c. Paulò post : Christus ait : Nemo adscendit in caelum nisi qui de caelo descendit filius hominis qui est in caelo. Non quia humana Christi substantia fuisset ubique diffusa, sed quoniam unus idemque Dei filius atque hominis filius, verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum divinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) caelum totus impleret & terram. Istam Christi veram humanitatem, quæ localis est, ut veram divinitatem (quæ immensa semper est) Apostolicā quoque doctrinā cernimus intimari. VIGILIUS I. contra Eutych. circa medium : Hoc erat ire ad Patrem, & recedere à nobis, auferre de mundo naturam, quam suscepserat ex nobis. Ibidem. Vide miraculum, vide utriusque proprietatis mysterium, Dei Filius secundum humanitatem suam recepsit à nobis, secundum divinitatem suam ait nobis : Ecce ego vobiscum sum &c. Si nobiscum est, quomodo ait : Venient dies, quando desideretis diem unum filii hominis, & non videbitis ? Sed & nobiscum est, & non est nobiscum,

Luc. 17, 22.

DE UBIQUITATE.

57

biscum, quia, quos reliquit, & à quibus discessit humanitate suā, non reliquit nec deseruit divinitatem suā; per formam enim seruit, quam abstulit à nobis in cælum, absens est nobis per formam Dei, quæ non recedit à nobis, in terris præsens est nobis: tamen & præsens & absens ipse unus idemque est nobis. Item lib. iv, non procul ab initio: Si verbi & carnis una natura est, quomodo, cum verbum ubique sit, non ubique inveniatur & caro? Nam quando in terrā fuit, non erat utique in cælo, & nunc quia in cælo est, non est utique in terrā. Ita enim ille ab inconfusione proprietatum ad inconfusionem naturarum argumentatur.

L I. Remoto Eutychianismo sive relliuijs Eutychianismi, restat videre, quid reverā humanæ naturæ per illam unionem collatum fuerit. Quoniam enim adsumta est humana in consortium divinæ, & cum eâ hypostaticè unita, ineffabilibus quoque & supernaturalibus donis ab eâdem in unione personæ dotata & exornata est.

L II. Huc pertinet illud: *Midi data est πάτερ ἐγών in cælo & in terrā*. Matt. 23, 18^o Nam si data est, rectius & simplicius secundum humanitatem data esse intelligetur.

L III. Ad hanc in omnes omnino creaturas potestatem, auctoritatem, jus & facultatem edendi admirabiles & supernaturales effectus, pertinet I. Vis vivificandi Joan. vi, 21, & 26. Cyrillus & Patres concilij Ephesini: *Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis anathema sit.* II. Potestas remittendi peccata, Matth. ix, 6. Marc. ii, 10. Luc. v, 24. III. Potestas judicij, Matth. xvi, 27. Joan. v, 27. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Cyrilus in hunc locum: *Dedit mihi vivificandi virtutem Pater, dedit judicandi potestatem; subiecit,*

COMMUNICATIO
MAIESTATIS.

anath. ii.

H

quia

DE COMMUNICATIONE

58 *quia filius hominis est, ut intellegatur omnia sibi data fuisse, ut homini.*

LIV. Fuit quoque Christus Omniscius secundum humanam suam animam. *In ipso enim absconditi omnes thesauri, sapientiae & scientiae.* Col. 11, 3. Vidimus gloriam ejus, inquit Joannes, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiae & veritatis. Act. x, 37: *Unxit eum Dominus Spiritu sancto, qui nimis spiritus est sapientiae & intellectus* juxta illud Ies. 11x, 2: *Requiescat super eum Spiritus sapientiae & intellectus, nempe modo longè excellentiori quam super illum sanctorum.* Psal. XLV, 8.

Ioan. 1, 14

LV. Porro non anima solum, sed & corpus Christi post resurrectionem summâ & absolutissimâ beatitudine & gloriâ affectum fuit. Qualis autem & quanta hæc sit, nobis in specie revelatum non est: certe resurgens ex mortuis jam non moritur, neque ultrâ ei mors dominatur, Rom. vi, 9. Penetravit quoque clausum sepulchrum, & obseratas fores & cœlos, Hebr. iv, 14. qui solidi sunt tanquam ære fusi, Joh. xxxvi 11, 18. Et in sacrâ cœnâ juxta infallibile verbum præsens est, ubiunque locorum ea celebretur.

LVI. Denique superexaltavit Christum Deus, & donavit ei nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu fleatur cœlestium, terrestrium & inferorum. Phil. 11, 9 & 10.

LVII. De hac Christi adoratione & cultu Cyrillus
can. 8. & concilium Ephesinum in hunc modum: *Si quis audet dicere adsumptum hominem coadordanum Deo verbo, ac non potius unâ adoratione veneratur Immanualem unamque glorificationem ei dependit, secundum quod Verbum caro factum est, ana-*
can. 9. *thematis.* Synodus œcumonica quinta: *Si quis adorari in duali naturis dicit Christum, ut duæ adorations introducantur,*

tur, semotim Dei verbo & semotim homini, & non unde adorati-
one Deum Verbum incarnatum, cum ejus carne adorat juxta quod
sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.
Athanasius de incarnatione contra Apollinarium : Quia
increati corpus factum est, ideo ejus corpus dicitur, cuius factum
est, ac proinde illi sacra offertis, exhibetisque vestram adoratio-
nem, eaque de causâ rite legitimâque ratione adoratur, & di-
vinâ adoratione colitur. Deus enim Verbum est, cuius proprium
est corpus. Alio loco ait, non esse in Christo unam naturam, de incarn
que adoratur, aliam que non adoratur, sed naturam Dei verbi tom. 2. pag.
incarnatam & adorandam cum carne suâ adoratione una : quæ 36.
verbarepetit & adlegat Cyrus priore libro de fide ad Regi-
nas. Chrysostomus hom. v. super ep. ad Hebræos: Reverta
magnum & admirabile & stupore plenum est, carnem nostram
sursum sedere, & adorari ab Angelis & Archangelis, & Cheru-
bitim & Seraphim. Damascenus de fide orthodoxâ l. III, c. IIIX;
& l. IV, c. III, quo loco hæc verba habentur: Caro ejus secun-
dum ipsum naturam, (si subtilibus cogitationibus dispicias quod
videtur, ab eo quod intelligitur, & cogitatione humanitatem
à divinitate præscindas) inadorabilis est ut creatura: unita autem
Deo Verbo, propter ipsum & in ipso adoratur. Ambrosius
de incarnat. sacramento: Sed verendum est, inquit, ne si ge-
minam sapientiam (humanam nempe & divinam) Christo
tribuimus, Christum dividamus. Numquid cum & divinitatem
ejus adoramus & carnem, Christum dividimus? Augustinus
ser. LIX. de Verbis Domini: Ego Dominicam carnem, immo
perfectam in Christo humanitatem propiore adoro, quod à di-
vinitate suscepit atque Deitati unita est, ut non aliud atque
aliud, sed unum eundemque Deum & hominem Dei filium
confitear.

LIX. Hactenus de Personâ Christi; sequitur Of-
ficium ejus.

LIX. Propheta est, ut testatur Petrus Act. III, 22,
ex Deut. xix, 15. Rex est juxta Psal. II, 6; & Zach. ix, 9.
verum cuius regnum non sit de hoc mundo, Joan. xix, 36. Pontifex est sive Summus Sacerdos juxta Psal. cx, 4.
Sicut itaque Pontifices in V.T. sic & ille populum docet,
benedicit, pro eo orat, & semetipsum sacrificium in arâ
crucis offert. Vide ep. ad Heb. Sacerdotium Christi ex-
imiè describentem.

LX. Mediator est inter Deum & hominem; apud
Deum videlicet intercedit, iratum placat, *avtes* persolvit,
atque ita hominem Deo reconciliat.

LXI. Ad hanc reconciliationem requirebatur, ut
satisficeret infinitæ justitiæ divinæ; nec hoc fieri potuit
avtes pro nobis per passionem & mortem (quæ certè in
divinitatem non cadant) persolvendo, nisi illud ab aliquâ
sui parte infinitum esset, & à parte offendâ ut sufficiens ac-
ceptaretur & offendenti imputaretur.

LXII. Requirebatur quoque ut contereret caput
serpentis, mortem & infernum vinceret, templum, quod
Joan. 2, 19.
30, 18. destruebant Judæi, ipse resuscitaret, ita ut potestatem ha-
beret ponendi animam suam & resumendi eam: denique
ut nos à maledicto legis liberaret, à peccatis mundaret,
vivificaret & justificaret. Ad hæc verò nimium quam in-
firma humana natura.

LXIII. Concludimus itaque Christum opus media-
tionis obire, non secundum quod aut Deus tantum est, ut
docere cepit Andreas Osiander Regiomonte Borussorum
A.C. ccc id xlix: nec secundum quod homo tantum, ut
docent Pontificij, Magister sententiarum & Scholastici;
item

item Franciscus Stancarus Mantuanus antagonist^a Osiandi: sed secundum quod & Deus est & homo, adeoque Mediatorem, Redemptorem & Salvatorem nostrum esse secundum utramque naturam.

DISPUTATIO IV.

DE SACRA SCRIPTURA.

THESES I.

UNAM Dei simplicissimam essentiam, & in unâ illâ essentiâ tres verè & realiter distinctas personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum demonstravimus, quæque eō pertinebant, ut ratio instituti serebat, explicavimus.

II. Nunc progrediendum ad Voluntatem Dei, ut videamus, quoniam cultu ipse à nobis coli velit, quomodo in nos affectus sit, quæque *κατὰ τὴν βολὴν τῆς θεοφάσεως* media ordinaverit, per quæ ē miserijs, in quas Adami, parentum & propriâ culpâ prolapsi sumus, eripiamur, & ad æternam illam beatamque vitam, plenamque & perfectam Dei trinunius cognitionem perducamur.

III. Hanc autem divinam voluntatem, per divinum verbum innotescere, nemo credo ausit negare. Hoc vero verbum, quo nimur se suamque voluntatem Deus nobis patescat, alij esse volunt, non quod in libris Propheticis & Apostolicis scriptum habetur, sed quod unicuique privatim spiritus dicit & revelet.

IV. Alij scriptum licet verbum recipient, hoc tamen ambiguum & obscurum esse dicunt, cuius sensus ideo ex ipso ejus contextu deprominon possit, sed depe-

H 3

deat